





1705

1. Goddeck, Gabriel: De medicina victoris
2. Willenberg, Samuel Fridericus: De avaritia pauperum.

1706

1. Willenberg, Samuel Fridericus: De arbitris et mediatores
Belligerantium

1707.

1. Willenberg, Samuel Fridericus: De abtatione ad ius in dam
facta.

1708

1. Schelzigius, Samuel: De apparitionibus mortuorum
vivis ex pacto factis. Rec. 1746.

1709

1. Willenberg, Samuel Fridericus: De usum parcentum
supplendo per magistratum in impis literum.

1711

1. Schelzigius, Gabriel: Utique fures sunt, et qui recipiunt
et qui furatae

1711

2. Willenberg, Samuel Fridericus: De eo, quod iustum est
vires excursions maritimas. Von Recht des Caperey.

1712

Willenberg, Samuel Fridericus: De perjurio veniali

1713

Willenberg, Sam. Frd: Ne filius pro patre

1714

1. Willenbrügge, Samuel Fridericus: De fraudibus, Libertate.

1715

1. Schelzigius, Gottl: Confessionarius a iudice de
crimine sibi in confessione revelato interrogatum
non posse jurare sibi verum esse revelatum.

2. Schelzigius, Gottl: Communio bonorum imperium
aetate apostolica Hierosolymis usurpata.

3. Schelzigius, Samuel: De capitulationibus.

1771
1.
2.
1772
1.
1773
1.
1774
1.
1775
1.
1776
1.
1777
1.
1778
1.
1779
1.
1780
1.
1781
1.
1782
1.
1783
1.
1784
1.
1785
1.
1786
1.
1787
1.
1788
1.
1789
1.
1790
1.
1791
1.
1792
1.
1793
1.
1794
1.
1795
1.
1796
1.
1797
1.
1798
1.
1799
1.
1800
1.





PERDETTIS
IN ALEA,

DN. JO. GOTTFREDI

DI

ACADEMIAE

ATRENI

IN

MAXIMO

JOHANNES W. HIL

ATRENI

ATRENI

ATRENI

ATRENI

ATRENI



293.



2. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
EXCEPTIONE
DOLI,
IN
CAMBIIS CESSANTE,

Quam

Divinâ annuente Gratiâ
SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Consulissimi, Excellentissimi

DN. SAMUELIS FRIDERICI

WÜRTEMBERG!

J. U. D. Ejusdem ac Historiar. Prof. Publ.

& Athenæi Inspectoris,

Fautoris, & Promotoris studiorum suorum
ad Cineres devenerandi,

d. *Julii A. R. M. DCCII.*

In Auditorio Athenæi Gedanensis maximo

Eruditorum Examine,

submittit

JOHANNES Gottlieb BECKER, Gedan.

GEDANI,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

EXCEPTIONE

DOLI

IN

GAMBIIS CESSANTE

Quam

Divinae majestatis

Gratia

Carissimi

DN. SAMUELS FRIDERICI

Magistri

U. D. Barchinensis ac Historiae Prof. Publ.

& Aedificiorum Inspectoris

Patris & Professoris Auditorum suorum

ad Censuram decessit

Idem & M. D. C. C. C.

In Auditorio Athenaei Gedanensis maximo

Prædicationum Examinis

subiit

JOHANNES GOTTLIEB BECKER, Gedan.

CEDEBAT

JOHANNES SACHARIA STOLLER



I. N. 7.

Disputatio de Exceptione doli in Cambiis
cessante.

I.

Jus, quo in causis dijudicandis utimur, commodè ^{Jus est ve} in commune & singulare dividitur. ^{commune vel} Commu- ^{singulare.} ne est divinarum atq; humanarum rerum omni-
um regula, ad quam hominum actones rerumq;
contingentes casus terminantur, quos omnes
vel verbis vel mente sua complectitur, ne in quavis persona
quolibetve casu peculiare jus constitui necessum sit *L. 2. §. 8. &*
12. ff. de LL. Jus singulare definitur, quod propter aliquam
utilitatem contra juris communis regulam autoritate consti-
tuentium introductum est *L. Jus singulare 16. ff. eod.* & pas-
sim ejus de Piis causis, Fisco, Personis miserabilibus, Mi-
litibus & aliis in Jure Romano exempla occurrunt.

II. Ob tractationem Cambiorum Mercatoribus & qui ^{Cambia sunt} illis occupantur à Superioribus etiam singularia jura, ^{vel si privilegiata} dicere mavis privilegia, ^{& quare?} ut plurimum indulga esse, varia va-
riorum locorum Statuta & consuetudines mercatorum te-
stantur. Causa illorum duplex esse potest vel generalis vel
specialis. Generalis est, ut compensetur molestia, quam
quis subit in transcribenda pecunia *L. 5. §. 3. ff. de Jure Im-*
munit & ut sint, qui in Reipublicæ necessitate commerciis,
quæ minus florent sine paratâ pecunia, tanto impensius stu-
deant. vid. Cicero *de Offic. lib. 1. circa. fin.* Seneca. *de Benefic.*
lib. 4. c. 12. Mercatorum enim & Campforum massa sum-
mum bonum est, Gentiumq; emolumentum judicante Bald.
P. 1. Consil. 348. n. 4. Specialis causa est, ne data fides vacillet,
quæ inter Campfores eximiè conspicua esse debet, eaq; ut
tante

▲

tanto certius pecunia in alio loco habeatur, quam absq; literis cambialibus, propter varios fortunæ casus, non sine gravi periculo. ingentibusque impensis secum portare foret necessum, exuberantius servari. Cambia enim Peregrinantium itinera & captivorum redemptiones mirum in modum sublevare, ac Magnatibus ad bella & quævis magna gerenda plurimum inservire possunt. Quid ergò mirum, causas cambiorum non tam ex regulis juris communis, quàm speciali circa eadem observantia vel statuto dijudicari.

*Prægressus
materie hic
tractanda.*

III. Nos in præsentiarum non in genere de Cambiis sed de Exceptione doli in Cambiis cessante acturi, ex integra hac materia quædam tantum, quæ ad materiam nostræ explicationem tanquam ejus præcipua fundamenta necessaria videntur, excerpemus ac ut felicior nobis in nostra tractatione fiat progressus hic præsupponemus. Adeoq; etiam ipsius Rubricæ, quamvis non omnium vocum, quarum Originatio in obvio, sed tantum vocis Cambii aliqua cura præmittenda. Ea nempe à Græco ἀπό τῆς ἀλλαγῆς ἐκασμῆς orta videtur. Præcis quidem JCrts incognita, interpretum tamen & communi usu approbata. Hinc & ex dicta origine verbum cambire vel cambiare Latini producunt, quod illis idem ac permutare denotat. Et hi qui permutant pecuniam Campsores dicuntur, Collybistæ à Græco κόλλυβιστῶν, Mensarii, Nummularii Germanis die Wechsler & ipsum Cambium vocatur der Wechsel die Wechsels Ordnung Dn. Ahasv. Fritsch. in *addit. ad Vogt. de Camb. th. 1. n. 1. Scaccia de Commercio & Camb. S. 1. q. 3.*

An Campsores hodierni cum Argentariis Romanis conveniant.

IV. Convenire videntur Campsores hodierni cum Argentariis antiquis, quorum in Jure Romano diversis in locis fit mentio L. 4. §. 4. L. 9. §. 1. ff. de Edendo Verum argentarii olim publica auctoritate constituti erant, ut mensam argentariam exercerent in foro, & ad eam non solum propriam pecuniam, sed & tanquam Proxenetæ alienam scœnoti exponerent.

nerent, ac ut ipsi jussu contrahentium somnia fideliter in libros rationum conjicerent, nimirum quo die & consule, quibus presentibus, quoque genere nummorum ab aliquo pecunia accepta & ab altero expensa. Hodierni verò campe res tantum privati sunt, nec rationes, ad quarum fidem tutò recurri posset, conficiunt. Unde apparet horum & illorum magnam esse differentiam. George Franzk. *ad ff. tit. de Edendo n. 29.* In aliquibus tamen celebrioribus civitatibus ad huc Campfores quidam publica autoritate cambia exercent, & quidem ad bancam ut vocant seu in publico loco, ubi nummi non secus ac aliæ merces pro cujusvis indigentia computari possunt, cujus generis campfores propius ad illos argentarios videntur accedere Joh. Baptist. Sfortia *in select. Pontific. const. Epit. 107. theorem 282.*

V. Qualisnam verò sit contractus Cambii, inter Dd. *Cambium in* subtili certamine tractatur. Raphael de Turri Jctus Italus, *quo conve-* Vir ex judicio Vogtii profundè doctus, ingenio sublimis & *niat & non* celeberrimus, optimè de re literaria meritis, famâ & *conveniat* estimatione magnus, postquam in Tractatu suo *de Cambiis cum aliis* *contractibus* *Disp. 1. qv. 6. & aliquot seqq.* de natura Cambii sollicitius disseruisset, tandem summam eam comprehendit, & *qv. 11. n. 1.* concludit his verbis sequentibus: *Ex eis, que in quinq; proximis* *precedentibus questionibus examinavimus circa convenientiam* *& discrimen, quod habet cambium cum permutatione, mutuo, lo-* *catione & innominatis contractibus facile (nisi fallor) erit colli-* *gere, Cambii substantiam ejusq; definitionem. Cum enim cum per-* *mutatione conveniat in genere commutationis rei pro re. Cum* *emptione in consensu, re & pretio. Cum innominatis in mutua* *prestatione. Differat autem à permutatione in eo, quod non exi-* *git præstantiam rerum permutatarum, sed solum consensum deside-* *rat; à mutuo, quod illud tantundem, quod venit in obligatione &* *& solutione debet omnino esse dversum genere, non sufficit di-*

versum specie. A Locatione, quod non usum rei permittat, sed dominium transferat. Ab emptione, quod requiratur necessario distantia localis. Et ab innominatis, quod & nomen habeat, & actionem sibi cognominem producat, sitq; irrevocabilis &c.

Quatuor Personæ regulariter cambio interveniunt. VI. Verum hæc penitus inspicienti, non nisi quandam convenientiam & disconvenientiam Cambii cum aliis contractibus continere apparet, ad ipsam naturam cambii exhibendam. imò ad graviore hujus negotii difficultates extricandas parum vel nihil facere, Itaq; ut constet qualis sit contractus cambium, & in primis qualis sit obligatio exindè nata, rem hanc sequentibus proponere lubet. Ubi præcipuè notandum, esse quatuor personas, quæ regulariter cambio intervenire solent, quas usus & stylus mercantilis formali respectu ad genus obligationis exigit. Is qui pecuniam exsolvit, eamq; rursus alibi solvendam desiderat vocatur *Remittens der Geber* oder *der Herr des Wechsels*. Qui solutionem alibi faciendam in se suscipit, & literas cambiales hoc fine Remittenti tradit dicitur *Tractans, Trechtans vel Trassans* item etiam *Campfor der Steher*. Ille cui fit remissa, seu cui pecunia alibi exsolvenda, appellatur *Presentans der Einhaber*. Et cui fit *Tracta* vel *trassa* seu mercator qui alibi solvere debet *Presentanti* pecuniam cambialem dicitur *Acceptans der Bezogene*. Müller. ad Struv. S. J. C. Exerc. 25, th. 41.

An & pauciores vel plures.

VII. Equidem etiam inter pauciores cambium exerceri potest, duos nempe Remittentem & Trassantem, si horum unusquisq; in loco ubi pecunia exsolvenda institorem seu factorem suum habeat, & mandato eum instruat, ut nomine Principalis negotio huic accedat. Vel si aliquis Principalium ad locum in quem destinata est solutio veniat, & ipse pecuniam ibi solvat aut accipiat, quo casu trium personarum interventio requiri videtur. Ad substantiam enim cambii simpliciter accepti non præcisè requiritur, quatuor intervenire

nire personas, ad ejus tantum prosecutionem & absolutam perfectionem numero harum opus est Raphael de Turri *d. Tr. Diss. 1. qv. 2. n. 10. & Diss. 11. n. 6. & 17.* Potest etiam casus dari, ut plures quàm quatuor personæ interveniant, si nempe cambium indossatum sit, seu tale ut vocant, ad quod exigendū Präsenrans alii dedit mandatum, cujus nomen scripsit in dorso cambii pro informatione acceptantis. Et tunc si aliquoties personæ exigentes mutantur, & unus alteri exactionem cambii adscribat, quam multæ personæ cambio accedere possunt, quod inter mercatores dici solet *das giro ren*, & regulariter ob confusionem exsurgentem prohibitum est, alicubi verò permissum sed sub certa limitatione, ut hic Gedani *Wechsel-Ord. der Stadt Danzig art. 27.* Joh. Jacob Heydiger *in der Anleitung zum gründlichen Verstand des Wechsel-Rechts cap. 5. p. 36.*

*Quid sit
cambium in-
dossatum.*

VIII. Nos juxta frequentiore usum, ex quo cum memoratis quatuor personis cambium absolvitur, nunc contrahentium obligationes lustrabimus. Has accuratè notasse proderit in specie ad uberiorem Thematibus nostri dilucidationem. Sunt verò non unius sed diversi generis contractus, quos ob diversa negotia per cambium in genere consideratum comprehendere videmus. In specie inter Remittentem & Trassantem contractus innominatus do ut des regulariter inicitur, nam ille dat pecuniam, hic accipit & promittit se eandem vel aliam in alio loco alii v. gr. Titio exsolviturum esse. Unde ex hoc contractu nascitur obligatio, ut Trassans pecuniam conventam alibi solvat, & si minus fecerit, ut liceat Remittenti datam pecuniam condicere Marquard *de Jure Mercaturæ Lib. 3. cap. 11. n. 49.* Lauterb. *Coll. Th. Pract. Tit. de P. V. §. 5.* Aliquando verò Remittens solum promittit se pecuniam daturum, quam alibi exsolvendam perit à Trassante, & tunc inspecta negotii qualitate inter eos contractus

*Exponitur
differentia
contractuum
in cambiali
negotio oc-
currentium
& Remit-
tentis &
Trassantis.*

mandati celebratus erit Stypmann. *de Jure Maritim. p. 2. c. 8. n. 22. seqq.*

2. *Trassantis & Acceptantis.*

IX. Inter Trassantem & illum cui fit Trassa contractus nominatus & quidem mandatum celebratur. Trassans enim mandat Acceptanti per literas de Aviso, ut pecuniam solvat Præsenti. Hahn *ad Wesenb. Tit. de Præsript. Verb. n. 2. circ. fin.* Cum verò mandatum acceptare arbitrii sit, nec antequam acceptatum obliget, interest Præsentantis nosse,

3. *Acceptantis & Præsentantis.*

an is cui facta Trassa cambium solvere velit. Eum in finem ipsi præsens literas cambiales, & ut acceptentur, stipulatur, quas si acceptaverit, inter eos stipulationis contractus erit initus Dn. Stryk. *de Act. Invest. s. 1. M. 7. § 18. seqq.* Si sine hac stipulatione literas cambii acceptet, dum illas apud se retinuit, vel sponte solutionem promisit ex constituto eam obligatum volunt *L. 1. §. 6. & L. 5. §. 2. de Const. pec. Raph. de Turri. de Camb. D. 2. qv. 16. n. 57. Rota Genuens. Dec. 1. n. 6. Dec. 4. n. 3. Dec. 104. n. 6. Vogt. de Camb. p. 137. seqq.* quamvis minus congruè *infra §. 30.*

4. *Remittentis & Præsentantis.*

X. Inter Remittentem & Præsentantem iterum mandatum contrahitur, nam huic mandatur, ut exhibeat literas cambii, & pecuniam cambialem exigat ab Acceptante Hahn *d. l.* Verum inter Remittentem & Acceptantem nulla obli-

Nulla est obligatio in Remittenti et Acceptanti vel Præsenti & Trassante.

gatio initur, quia nullum negotium inter ipsos geritur. Unde si fortè acceptans literas cambii repudiet, vel quidem acceptet, sed tamen non solvat, nulla contra illum Remittenti competit actio, nisi à Trassante cessa sit Dn. Stryk. *d. l.* Idem nec Trassans cum Præsente contractum celebrat, sed si quis horum in aliquo debitor fiat, à Remittente ejus nomine pulsandus veniet, vide pluribus circa hanc materiam diversas Ddum sententias ap. Müller *in Annot. ad Strw. d. l. lb. 40. p. 174. 8.*

Definitur Cambium.

XI. Per complexum tamen horum negotiorum cambium

um describi potest, quod sit: CONVENTIO ULTRO CITROQ; OBLIGATORIA, QUÆ MEDIANTIBUS LITERIS CAMBIALIBUS PERFICITUR DE PECUNIA CERTO LOCO SOLUTA, TANTUNDEM IN GENERE, INTERVENIENTE ALIQUA MERCEDE, ALIBI EXSOLVENDA. Germanicè definitur: daß Cambitum ist eine Verwechselung Geldes mit Gelde vermittelt einer Polisa oder Wechselbriefes von einem Ort zum andern mit Differirung etz was Zeits unter gewissem Lagio oder Interesse Sprenger. Wechsel Practic. §. 3.

XII. Dividitur Cambium I in *Feriarum seu Nundinarum* & *Platearum*. Illud vocatur, quod in nundinis in quibus negotiatores conveniunt, ut cambia celebrent, quales in Germania sunt vernaes & autumnales Francofurtenses, exsolvendum, quod quia certa lege certaque ratione circumscriptum est, etiam Regulare dicitur. Hoc appellatur, quod quocunque loco & tempore etiam extra nundinas solvitur, quod quia vagè & pro lubitu peragitur, Irregulare dici solet Joh. Mart. Vogt. de Camb. lib. 3. de Turri D. 1. qv. 1. n. 7. & qv. 24. n. 26. II. In *Minutum seu manuale*. quando minutiores nummi cum majoribus, vel contra prout cujusque commodum efflagitat, de manu in manum permutantur, & locale seu *trahatitium* quando pecunia præsens cum absente in alio loco virtute literarum permutatur Scaccia de Commer. & Camb. § 1. qv. 5. n. 19. seqq.

III. In *Reale* quod realiter subjectum & substantiam habens, nulla mutui consideratione interveniente per literas exercetur, & *Siccum* quod solius temporis compensationem quaerit, seu lucrum præterdit ex sola ratione solutionis ad tempus dilata, adeoq; purum putum usurarium contractum olet, ideò à Dd. siccum dictum, quia humore seu justo titulo caret ad legitimos fructus ferendos, uti terra quæ sicca est & omni humore caret nihil usus profert Scaccia d. l. qv. 7. n. 20. Honorat. Leonard. de usur. qv. 25. n. 42.

XII. Ob-

*Objectum
cambii est
pecunia.*

XIII. Objectum cambii pecunia est, cujuscunque generis, quæ alibi repræsentata per fictionem quandam, in eandem speciem, quæ hic exsoluta fuit, resolvitur Dn. Schilter *Prax. Jur. Rom. in For. Germ. Ex. 32. th. 9.* Nec obstat, quandoq; hunc, qui pecuniã cambio accepit, campfori suo frumentum aut simile quid refundere. Sufficit enim quod principaliter animus & intentio contrahentium fuit, nummos cum nummis cambiare, defectus autem eorum aut inopia debitoris ex accidenti veniens non attenditur *L. 11. C. 40. ff. de R. C. L. 17. ff. ad Scum. Vellej. L. 53. ff. de Furt.* Solvenda verò in primis illa pecuniæ species, quæ in literis cambialibus expressa, & hinc in gratiam Præsentantis hic Gedani in specie constitutum est, ne pecunia minuta ipsi exsolvatur *Wechsel-Ord. der St. Danzig art. 17.*

*Lagium
dandum
Campfori &
quantum
esse possit.*

XIV. Hoc ipso verò quod utilitas Remittentis & Præsentantis per cambia promovetur, & campfor periculum, labores & impensas sustinet, ei honestum lucrum non invidendum est. Vocatur hoc lucrum Collybium, Lagium vel Provisio, quod ad certam quantitatem quorundam locorum statutis restrictum est *Ordin. Lips. Camb. S. 31. Dn. Schwendend. ad Eckholt. Tit. de edendo S. 17.* Extra certam ejusmodi determinationem, ejus & interesse cessantis habenda est proportio, ut æstimerur justum juxta modum onerum & incommodorum ex causa cambii abortorum, campforis industriam & sollicitudinem, quam in tanta varietate pecuniarum impendere habuit necesse *arg. L. 12. pr. ff. Depos. L. 122. S. 1. ff. de V. O. de Turri. d. Tr. Disp. 1. qu. 24. C. qu. 13. n. 35.*

*An cambia
exercere sit
licitum.*

XV. Sed ratione hujus lucri nunc oritur dubium, num cambia defendi possint ut licita? videntur improbanda ex hisce rationibus 1. quod ipsi DEO negotiatio campforia invidiosa, qui mensas campforum evertit *Matth. 21. v. 12. 2* quod pecuniæ

pecuniæ per artem campforiam proprius detrahatur usus, quippe quæ non suæ ipsius sed aliarum rerum est pretium *L. 1. pr. ff. de C. E. V. & 3.* planè contra naturam pecuniæ sit, eam tanquam rem per se sterilem fructum parere. Verum non obstantibus hisce pro justitia cambiorum militat, quod horum in Republica tanta sit necessitas & utilitas, ut nisi florent, omnia penè mercaturæ officia essent cessura. Quod itidem iniquum foret Campforis industriam, sudorem ac expensas, quas facit in conductionem ministrorum ac factorum sine ulla retributione in usum suum vertere. Perperam itaq; in contrarium adducitur prima ratio, siquidem ex dicto textu non evincitur, quod Christus mensas mensariorum idèd everterit, quasi cambia ceu artem & negotiationem illicitam odio haberet, sed quod in templo non voluerit exerceri. Scriptum enim est: Domum suam esse domum orationis *Esa. 56. v. 7. Jerem. 7. v. 11. & 21.* Ad secundam rationem contrariam responderetur, concedi quidem, proprium ac primarium usum pecuniæ per negotium campforium everti, remanere tamen eidem alium, nempe improprium & secundarium, qui etiam in aliis rebus occurrit. Tertia ratio tollitur per distinctionem naturalium & civilium fructuum. Licet enim pecunia non naturales fructus pariat, parit tamen civiles, qui occasione pecuniæ percipiuntur *L. 62. ff. de Rei Vind. conf. de Turri d. Tr. Disp. 1. qv. 13. Scaccia de Commerc. & Camb. P. 1. §. 1. qv. 7.*

XVI. Ad promovendum negotium cambiale tradit *Ad melius*
 Campfor Remittenti literas cambiales sub assignatione certæ *promoven-*
 personæ, quæ pecuniam alibi solvat. Si fides haberetur *dum cambi-*
 Trassanti, posset etiam sine illis expediri cambium, puta per *um dantur*
 nuntium, fieretque hoc auf *Rauffmanns Wort oder Parole* *literæ cam-*
 quia literæ de essentia contractus hujus non sunt, sed meli- *bialior.*
 oris probationis causa tantùm scribuntur. Quamvis sine iis
 B dif.

difficile sit, contractum tunc ad eum effectum perducere, ut parata propterea competat executio Scaccia d. Tr. §. 1. Q. 5. n. Quid sint ^{10.} Dn. August. Bened. Carpz. de Camb. c. 6. th. 43. Cæterum de hæ literæ? scribuntur hæ literæ, quod sint breve instrumentum privatum, trium quatuorve linearum à Tractante subscriptum, continens ejus mandatum, factum illi ad quem dirigitur transa, de solvenda summa ei, cui facta est remissa, cum expressione diei & loci celebrati cambii & destinatæ solutionis: adjecto quandoque alio mandato de imputandis pecuniis solvendis in hanc vel illam causam de Turri disp. 2. qv. 2. qv. 1. & seqq. Gvalter. de Camb. th. 6. lit. a.

Quibus
clausulis mun-
tiantur,

XVII. Vallantur & muniuntur hæ literæ ex stylo mercatorum variis clausulis in securitatem tam præsentantis quam acceptantis. Additur enim terminus *Valuta* nostro idiomate den Werth qui continet confessionem pecuniæ à Remittente solutæ Rot. Genuens. Dec. 44. in. f. Si ipse Præsentans impediretur solutionem exigere, ut alius habeat facultatem pro illo exigendi, addi solet post nomen ejus oder *Commiss.* quod denotat fidelem detentorem vel possessorem cambii getreue Wechselbriefes Inhaber nempe ut & ei solvatur, cui præsentans executionem commiserit vid. supr. §. 7. in. f. Ad duntur verba *stelletis à conto* oder *auf Rechnung* ad significandum qua ratione compensatio fieri debeat, si inter campso-rem & illum cui fit transa mutua debita intercedant, wenn sie einander schuldig seyn oder Rechnung mit einander haben. Aliquando plures ejusdem cambii à Tractante dantur literæ, in eum finem, ut si primæ casu amittantur, vel vi auferantur, aliquæ adhuc salvæ maneant & transmitti possint. Sed ne forte duplex cambium solvatur, pro informatione Acceptantis prioribus literis inseritur vox prima meinen *prima Wechselbrief* / posterioribus vox secunda meinen *Secunda Wechselbrief* wo *prima* noch nicht bezahlet. Si verò unica tantum

tum schedula cambialis data, inscribitur vox sola *meinen So-
la Wechselbrief*, ut intelligat Acceptans hanc solam non ali-
as literas cambiales secuturas esse. Scaccia *d. Tr. §. qv. s. n.*
74. Gvalter. d. th. 6. lit. c. Formulæ istiusmodi literarum
cambialium mercatoribus & qui illis occupantur sunt notæ.
Illis tamen qui talia tanquam aliena à sua professione igno-
rant, & tamen scire desiderant, exempla quorumcunque ge-
nerum exhibet Savary *Tr. der vollkommene Kauff und Hans
deismann. cap. 26.*

XVIII. Ab his literis cambialibus differunt literæ aviso. *Quid sint li-
foræ vel de aviso* *Avisebriefe* quæ sunt literæ intimationis *tere Aviso-*
missæ à Trassante ad illum cui facta est trassâ, ut illis significetur *rie.*
cambium esse solvendum, simulq; media satisfactionis
exponantur *auf was Art er sich seiner Wiederzahlung halber*
revaliren solle/ ad quæ se Trassans referebat per verba licen-
rarum cambii stellet's auf Rechnung laut aviso i. e. eo modo
ut literis intimationis expressum est. Fritsch. *ad Vogt. de Camb.*
th. 7. n. 2. seqq. Marquard. de Jure Mercaturæ L. 2. c. 2. n. 46.

XIX. Literis cambii à Trassante Remittenti traditis, ob- *Tam literæ*
ligatur hic, ut statim eas præprimis si sint primæ, ad acce- *cambii quæ*
ptandum trantmittat. Si sint secundæ, eas quidem pro lu- *avisorie sta-*
bitu transmittere potest, cavendum tamen, ne nimia cuncta- *tim sunt*
tione dies, qui ad solvendum destinatus, elabatur *transmissio-*
de. *Wechsel-*
D. der Stadt Danzig. art. 2. Vicissim Trassans tenetur literas
avisorias vel separatim vel unâ cum literis cambialibus
statim ad acceptantem mittere, quia hæ literæ sunt funda-
mentum acceptationis, dum modum continent reperendi
pecuniam à Trassante, adeo ut illis deficientibus acceptatio
recusari & solutio differri possit, nisi fiat pour l' honneur de
lettre Sprenger *Wechsel practie. p. 44.* Qui omisit hoc facere
ad damnum alteri resarciendum tenetur, quod interim ex
fallisamento acceptantis vel aliunde alicui contrahentium

contigit Wechsel-Ord. der Stadt Danzig art. 4. *Ordinat. Lips. de Camb. §. 27.*

Et illæ in
tempore
præsentan-
dæ.

XX. Rursus Præsentans obligatur ut in tempore literas cambii ad acceptandum offerat. Quamvis enim ut plurimum ejus præ cæteris interficit has literas acceptari, qua de causa non facile cunctari præsumitur, interesse tamen potest etiam reliquorum cambio intervenientium, ut literæ cambiales maturè præsententur. Tempus verò quo id faciendum juxta locorum statuta variat. Alicubi statim eodem die quo literæ acceptæ vel proximè sequenti sunt præsentandæ, adeo ut ne quidem dies Solis aut alius feriarum eximatur. Alibi distinguitur inter literas cambii regularis & irregularis ut illæ intra dies durantium nundinarum, hæ ante recursum Postæ ad locum, ex quo illæ literæ accefferunt, præsententur. Dn. Ziepfell. *Tr. de liter. Camb. Sect. 6. p. 157.*

Ob non ac-
ceptatas lite-
ras cambii
protestan-
dum.

XXI. Sed supra dictum, esse arbitrii Acceptantis an literas cambiales acceptare velit vel non. Si nolit acceptare, vel nolit post acceptationem solidum debitum solvere, præsentator literarum contra eum protestari & protestum elevare h. e. ob protestationes confectum instrumentum mittere debet ad remittentem, ut jus agendi contra datorem literarum ipsi salvum maneat ad prosequendam summam in Literis cambii contentam & interesse donec realiter facta solutio Wechsel-Ord. der Stadt Danzig. art. 7. 8. & 12. *Ord. Lips. Camb. §. 5. & 17. inf. Savary d. Tr. cap. 22. Camill. Borell. Decis. p. 2. tit. 23. n. 110. Rot. Gen. Decis. 1. n. 3. 5. 6. Protestatio hæc facienda coram Magistratu aut Notario aliquo intra fatalia protestationum seu tempus ex lege vel consuetudine cujusque loci determinatum & inserenda illi à Notario causa recusationis Dn. Stryk. in *Caut. Contr. §. 3. cap. 5. §. 16. seq. Ziepfell. d. Tr. Sect. 2.* Si hæc protestatio omissa, & cambium est proprium Præsentantis, perdit illud & omne interesse,*

esse, quod protestatione facta fuisset habiturus. Si spectet id ad alium, ei de omni cessante lucro Præsentans tenetur. Vogt. de Camb. th. 7. p. 192. seq. Raph. de Turri de Camb. Diss. 2. qu. 10. n. 29.

XXII. Si acceptate velit, id facit vel expressis verbis, Quomodo quæ probantur testibus aut scripturâ etiam privatâ, ut si lite fieri possit ris cambialibus subscribat et acceptare, vel tacitè per receptionem & retentionem literarum Marquard. de Jure mercaturæ Lib. 2. c. 12. n. 76. Potest autem acceptare dupliciter, nimirum purè & sine ulla contradictione, vel cum modo, quod fit cum aliqua protestatione, quando acceptans fortè ob nondum acceptas literas de aviso, vel quia non vult acceptare literas cambii juxta tenorem mandati aut voluntatem Tractantis, dum ipsi vult alium delegare, quem sibi pro isto cambio obligatum habet, se pro honore literarum cambii eas acceptare protestatur, ut utile negotium gerat, & Tractantem sibi obliget L. 2. 28. 34. post. med. ff. de Neg. gest. Marquard. d. l. n. 50. Scaccia de Camb. s. 2. gl. 5. n. 358. Sub conditione autem acceptare interdum prohibitum est, ut hic Gedani & Lipsiæ quia acceptatio non est quæ sub conditione suspenditur, sed tantùm promissio de acceptando si conditio extiterit, quæ idcirco acceptantem non obligat, nec transcribentem liberat. Wechsel-Ord. der Stadt Dausig. art. 10 Ord. Lips. Camb. s. 8. Mey. P. 9. Dec. 132.

XXIII. Acceptatio illa quæ fit sub modo per honneur d. Lettre seu pro honore literarum cambii, fieri potest non tantum ab acceptante ut dictum, sed & ab alio quovis tertio. Tunc verò requiritur, ut prius ille cui facta trassaverit acceptare cambium, atque ille cui remissa facta protestum interpolaverit Marquard. d. l. n. 44. Deinde Tertius coram Notario, qui protestationem scribit, de acceptando se declarare, hancque acceptationem juncto nomine Tractantis

An & quando pro honore literarum tertius acceptat cambium.

ris Notarius literis cambialibus inscribere, ac quod facta in honorem Traffantis Protesto adjungere, & ita hoc Præsenti tradere debet. Nihilominus adhuc liberum manet Præsenti, num istum Tertium admittere velit vel non, adeoque etiam Notarius instrumento suo absque illius concessione hunc tertium inferere non potest. Vicissim si Tertius admittitur, is postea se offerentem ad solvendum illum cui traffa facta audire & ab acceptatione sua recedere non tenetur *Wechsel Ord. der Stadt Danzig. art. 11. & 12. Ord. Lips. Camb. §. 17.*

Acceptationis effectus est quod ea obliget acceptantem ad solvendum.

XXIV. Nunc proponendus effectus est acceptationis qui est quod ea qualicumque modo facta obliget acceptantem ad solvendum eumque statim efficiat debitorem ejus à quo acceptavit *supra §. 10. Stracha de Mercatoribus p. ult. tit. quando in caus. mercat. proced. de probat. n. 14. Klock. de Erario lib. 2. cap. 21. n. 23. Vincent de Franch. Detif. 303. Alexander. V. 2. Cons. 94. n. 5. Rota Genuens. Decif. 168. n. 2. Simon van Leuwen Cens. Forens. L. 4. c. 15. n. 9. adeò ut post modum non pœnitere & in literis contenta recusare, neque ipse campfor cambium revocare, aut solutionem prohibere possit, sed demum actuali & reali solutione ab obligatione contracta liberari valeat Klock d. l. n. 24. Rot. Genuens. Decif. 135. n. 2. & Decif. 168. n. 2. Lauterb. Diss. de Jure in curia mercat. usitat. th. 187.*

Probatur hoc variorum locorum statutu.

XXV. Veritas hujus adeò evidens est, ut non tantum sine ulla hæsitacione eam apprehendant hi, qui cambiis occupantur, sed & in Brocardicon iverit inter mercatores: *Chi accetta pagha, Solvat qui acceptavit* quod Banchis quorundam locorum literis aureis inscriptum, & Sanctionis Pragmaticæ instar habetur Peller. *Annot. ad Klock. d. c. n. 28.* Sed & ne illius cavillandæ ulla esset causa, disertis verbis per statuta variorum Empiorum ita dispositum legitur: *Wer einen Wech.*

Wechselbrief acceptiret der wird dadurch Debitor oder Selbst Schuldner/ und ist gehalten/ es sey gleich die valuta bezahlet und vergüetet oder nicht/ denselben zu gehöriger Zeit nicht durch assignationes und Überweise / es wäre denn daß selbige gute willig angenommen würden (auf welchen Fall dennoch dem Einhaber sein Wechselrecht so lange in integro bleiben wird/ bis daß die Zahlung vom Assignatario würectlich erfolget) sondern allein per cassa ohne einigen Ausstell zubezahlen etc. Wechsel-Ord. der Stadt Danz. art. 16. Et ex Ordinatione Camb. Lipsiensi. §. 13. hæc verba leguntur: Gleich wie nun derjenige so einen Wechselbrief acceptiret sich zum debitori oder Selbst Schuldner constituiret und dermassen kräftig verbunden wird etc. Pariter ex Statuto Hamburgensi p. 2 & 7. apparet: Wer einen Wechselbrief acceptiret/ der wird Debitor oder Selbst Schuldner/ sowol als der so das Geld aufgenommen und empfangen hat add. Hamb. Wechsel-Ord. art. 15. vid. plur. de aliorum locorum Statutis Ziepfel. de Lit. Camb. Sect. 6. p. 193. seqq.

XXVI. Disquiritur an post acceptationem sit facta quædam delegatio, ut postea Remittens non amplius habeat regressum contra campforem. si fortè is cui facta trassa post acceptationem bancum rumpat? videtur id quibusdam, quia imputandum Remitenti, quod is acceptantis fidem securus & debitorem delegatum admiserit *L. 26. §. 2. ff. Mandat. I. fin. C. ad L. Aquil. adeoq; in non magis idoneum consenserit. ut idcirco ad damnum vitandum Remittens cautus esse debeat, à campfore sibi expressè promitti se facturum vel curaturum. ut tanta pecunia certo solvatur, quo si non soluta, contra illū ipsi salvus possit manere regressus Bartol. ad 15. ff. de R. C. n. 29. Bald. in L. 6. C. de Reb. aut jud. possid. Match. de Affl. et. Decis. 352. Verius est demum cessare regressum contra Campforem, si Presentans post acceptationem contra solutionem non*

An post acceptationem sit quædam delegatio facta.

præ-

præstitam intra fatalia Protestationis non protestatus sit. Ob
solam enim acceptationem non liberari potest Trassans, quia
quando post eam Acceptans decoxit & ita non solvit, adhuc
licet Præsentanti intra consvera fatalia protestari, quo facto
salvus manet regressus contra Campforem, quippe hucusq;
non satisfacisse intelligitur suæ obligationi *Wechsel-Ord.
der Stadt Danzig. art. 8. inf. Raph. de Turri de Camb. Diss.
2. qv. 12. n. 8. seqq. Mev. P. 9. Dec. 132. n. 4.*

Proponun-
tur quedam
privilegia
cambii.

XXVII. Dedimus supra rationem quare cambia præ
multis aliis negotiis sint privilegiata. Faciamus verò nunc
paucis quorundam privilegiorum mentionem. His itaq; an-
numeramus, quod multis in locis Specialis Magistratus con-
stitutus, qui ut causas mercatorum ita & cambiorum in spe-
cie tractat, & quidem juxta eorum mores & consuetudines
secundum meram æquitatem de Turri *Diss. 2. qv. 14. n. 44.
Marquard. de Jure Mercaturæ lib. 3. c. 6.* Habent literæ camb-
biales post acceptationem paratam executionem Berlich.
P. 1. Cond. 80. n. 78. Mastril. P. 1. Dec. 9. n. 3. & 6. & effectum
rei judicatæ, imò & majorem tunc, si statim post acceptatas
litteras solutio injuncta, cum alioquin sententia demum post
quadrimestre spatium exequenda *L. fin. C. de Usur. rei jud.
Savary der vollkommene Kauffrund Handelsmann cap. 21.
Marquard. L. 2. c. 12. n. 59. seq.* In concursu creditorum Re-
mittens pecunia adhuc exstante Campforis, & Præsentans
Acceptantis omnibus creditoribus præfertur Müller in *An-
not. ad Struv. S. J. C. Exerc. 25. th. 46. lit. R.* Berlich. *P. 1.
Concl. 62. n. 14.* Stypmann *de Jure marit. & naut. P. 4. c. 8.
n. ult.* Quòd simili modo hic Gedani dispositum, ubi si pecu-
nia acceptata adhuc in individuo apud acceptantem reperit-
atur, præsentans etiam omnibus creditoribus ejus præferatur.
sin minus tantum chirographaris aut aliis creditoribus merci-
um *Wechsel-Ord. der Stadt Danzig art. 33.*

XXVIII.

XXVIII. Quænam competat actio pro expediendo cambio variæ reperiuntur Ddum sententiæ, neque mirum quia circa definiendum contractum cambii illi admodum variant. Nos ut diversa negotia cambio implicari supra ostendimus, ita consequens est diversas obligationes circa illud nasci, ex quibus pariter diversas actiones competere nunc ostendendum erit. Remittenti contra Campforem, si à datione cambium initium coepit actio Præscriptis verbis ex innominato contractu do ut des competit *L. 6. C. de Rev. permur.* si ex nuda conventionem illud constat, actio mandati directa, qua convenitur Tractans ad transportandam pecuniam & in loco convento solvendam. Huic datur actio mandati contraria ad numerandam pecuniam, & si mora commissa ad præstandum id quod interest, itemq; ad remunerationem & mercedem *L. 6. pr. ff. Mandati.* Quod si cambium alibi non exsolutum, contra Tractantem datur Remittenti condictio causa data causa non secuta, quæ cum summa soluta id quod interest & expensæ in protestum & elevationem ejus factæ repetuntur *Stypmann. de Jure maritimo p. 3. c. 8. n. 37. seq. de Turri Disp. 3. qv. 9. n. 11.*

Quænam
competat ac-
tio inter Re-
mittentem
& Tractan-
tem.

XXIX. Inter Tractantem & Acceptantem actio mandati nascitur, daturque illi directa postquam cambii literæ acceptatæ, ut satisfiat mandato, & cambium exsolvatur; huic contraria ad recuperandam pecuniam pro illo solutam, & provisionem quam vocant, aliaque quæ acceptanti ratione hujus mandati absunt *L. 5. pr. L. 45. pr. L. 10. §. 9. L. 12 §. 9. ff. Mand.* Eadem actio mandati directa datur Remittenti contra Præsentantem ad complendum mandatum aut præstandum quod interest, maximè tunc quando non convenienter contra recusatam acceptationem cambii protestatus est. Huic contra illum datur contraria ad recuperandum id, quod mandati nomine ipsi abesse potest *supra §. 10.*

Quænam
inter Tra-
ctantem &
Acceptan-
tem.
Ut & inter
Remitten-
tem & Præ-
sentantem.

C

XXX.

Que Præ- XXX. Præsentanti contra acceptantem competit actio
sentanti con- ex stipulatu L. 75. pr. & S. 1. ff. de V. O. Juxta aliquos etiam
tra acceptan- actio de constituta pecunia supra §. 9. Verum cum ea esset
sem. ex constituto debiti alieni, quod species est fidejussionis L. 1.
 §. 1. ff. L. fin. C. de Const. pecun. ex quo etiam Acceptanti be-
 neficium excussionis concedendum foret Nov. 4. c. 1. d. L.
 fin. Bachov. ad Treutl. V. 1. D. 23. th. 8. lit. C. verius est a-
 ctionem de constituta pecunia non dari. imò obligationem
 inter Acceptantem & præsentantem ne quidem constitutum
 esse, quia acceptans solutionem nullo jure differre aut dene-
 gare potest §. 24. & seqq. & S. 44. seqq. Magis ex pacto obligatus
 est, si fortè sine prævia interrogatione præsentantis sponte so-
 lutionem promissit. ex quo contra ipsum conditio ex mo-
 ribus intentanda foret Dn. Stryk. in Usu Mod. ff. in de Pact.
 §. 3. Remittenti verò contra Acceptantem, item Trassanti
 contra Præsentantem aut viceversa nulla actio competit, quia
 inter illos nullum negotium gestum est. Si tamen expediat
 alicui horum contra alterum experiri, cedenda foret actio ab
 eo cui ex suo contractu competeret. conf. Sande de Action.
 Cess. cap. 6. Lenz. de Nomin. & act. cess. cap. 7.

Que ei qui XXXI. Is qui pro honore literarum, ut vocant, acceptavit,
pro honore sive sit destinatus Acceptans, & fortè id faciat quod nondum
acceptavit. literæ de Aviso sibi insinuatæ, sive alius Tertius, qui non
 acceptante eo cui facta trassa, dicto modo acceptavit, habet
 actionem negotiorum gestorum contrariam contra Trassan-
 tem, itidem ad indemnitate consequendam, quia gessit ne-
 gotium ejus L. 19. §. 2. L. 31. §. 2. L. 32. L. 43. & 46. ff. de N. G. Rot.
 Gen. Decis. 6. n. 7. & Decis. 31. Menoch. Consil. 206. n. 24.

Combitis an XXXII. Quemadmodù verò in ordine ad Processum Jura
opponi pos- suppeditant remedia tam ad agendum quàm ad se defenden-
sint excepti- dum in genere, & insuper hætenus patuit de remediis agendi
one. ex cambio in specie, ita etiam nunc ostendendum erit, an &
 quæ ex cambio sint se defendendi remedia, seu an convento
 quoq;

quoque exceptiones competant, quæ sunt jus reo competens ad excludendam actoris intentionem summo jure fundatam, vel de facto tantum motam *pr. f. & l. 2. pr. ff. de Except.* Nul- las exceptiones hic admitti, sed cambia paratam executio- nem habere debere, ferè omnibus locorum statutis cambia- libus disponitur, ne retardetur solutio, quam paratam vole- bant contrahentes cambium *Wechsel-Ord. der Stadt Dan- zig, art. 16. Ordin. Lips. Camb. §. 13. Ord. Camb. Aug. Vindel.* *Opponi po- test solutio- nis & com- pensationis.*
art. 7. Nisi quis habeat exceptionem solutionis in continenti probandam, quia probata solutione omnis obligatio tollitur, simulque exactio cessat. *L. 95. §. 4. ff. de Solut. dd. Ordinat. Ord. Wratislav. Camb. art. 1. & 5. Marquard. de Jure mer- cat. l. 3. c. 11. n. 43.* vel exceptionem compensationis, eo quod compensatio habeat vim solutionis & tollat utrinque debi- tum *L. 4. 10. pr. l. 21 ff. l. 4. & f. C. de Compens. d. Ord. Lips. §. 13.*

XXXIII. Exceptionem non numeratæ pecuniæ pariter ces- sare juxta Statuta cambialia, expeditum est. De ea tamen secun- dū jus commune in foro contradictorio adhuc famosa con- troversia agitur, dum pro utraque sententia suis argumentis reperiuntur Patroni. Pro admissione ejus pugnant Trenta- sententia. *An etiam exceptio non numeratæ pecuniæ? varie Dd. sententia.*
Lib. 3. tit. de solut. Resol. 20. n. 10. Fachin. lib. 2. Con- trov. cap. 86. Scaccia. de Comm. & Camb. §. 2. Gloss. 8. Brun- nem. ad l. 5. C. de non num. pec. n. 4. quia in Legibus nulli- bi excepti inveniuntur mercatores, & quia literæ cambiales quidem probant confessionem campforis, non verò probant numerationem pecuniæ. Ejus cessationem statuunt *Raph. de Turri de Camb. Disp. 2. gv. 16. n. 56. seqq. Carpz. P. 1. G. 32. Def. 69. Wefenbec. Consil. 31. n. 23. 1.* quia hæc exceptio tantum locum habet in dote & mutuo non in aliis contracti- bus *L. 14. §. 2. C. de Non num. pec. 2.* quia Acceptans Tras- santis loco se ad solutionem obstrinxit, frustra autem quis opinatur exceptione non numeratæ pecuniæ se esse muni- tum, quando, ut fatetur, in ejus vicem, qui erat obligatus se substitit

substituit debitorem *L. 6. C. d. t. 3.* quia istiusmodi exceptio mirum in modum commerciis obstaret, siquidem mercatorum maximè interest paratam habere pecuniam. Mediam sententiam eligunt *Ord. Lips. Camb. d. § 13.* ut quidem regulariter ista exceptio cesset, obtineat tamen, si in continenti manu propria Campsoris probari possit, non numeratam fuisse pecuniam. Et Berlich. *P. 2. Dec. 294. n. 15.* quod deum tunc cesset, si eam Trassans ex sua persona opponere velit, non verò si acceptans ex persona Trassantis.

A nobis distinguatur.

XXXIV. Nobis ita distinguere placet, an campsor in literis cambii confessus sit numerationem per verba *valuta bon dem Werth/* an eam non confessus sit, sed tantum simpliciter mandaverit, ut acceptans nominatam summam Presentanti solvat. Priori casu *N. N. P.* exceptio competit tam ipsi Trassanti, quam acceptanti, quia ille pecuniam transferendam spe numerationis se accepisse confessus est, & verò propter speratam numerationem propriè dicta exceptio competit *L. 15. C. de Non numer. pec.* hic tanquam mandatarius ea utitur nomine principalis sui utpote debitoris *arg. L. 12. C. d. t.* Nisi in literis a visoribus vel aliis campsor numerationem rursus esse confessus *L. 15. C. de Fide instrument.* Posteriori casu excluditur, quia tunc deficit, quod hac exceptione impugandum venit, scilicet confessio numeratio *L. 13. C. de non. num. pec.*

Concurrit cum exceptione N. N. P. exceptio doli generalis.

XXXV. Concurrit cum hac exceptione non numeratæ pecuniæ, uti cum aliis exceptionibus, exceptio doli generalis, quia hæc toties competit, quoties aliquid contra naturalem æquitatem petitur *L. 3. C. d. t. L. 3. §. 5. ff. de dol. mal. Except.* Ab illa diversa est exceptio doli specialis, quæ tantum datur, quando in ipso negotio, ex quo adversarii actio nata, quis deceptus est, adversus illum qui in hoc negotio dolum commisit, & postea ex illo agit. *L. 2. §. 1. & 2. ff. d. t. Utrum igitur hæc competat vel cesset in cambiis, nunc præmissa aliqua generali cognitione de hac materia, præmissa explicandum erit.*

XXXVI

XXXVI. Id exequemur, opinor, eo facilius, si prius formemus casum quendam cum suis circumstantiis, & ex eo postmodum quæstionem ipsam ad examen producamus.

Casus de dolo in cambio commisso.

„Casus verò esto ille: *Cajus Sempronio Creditori suo*
 „debet 1000. tal. quia verò *Cajus facultatibus lapsus,*
 „Et instat ut nunc bancum rumpat, urget *Semproni-*
 „us, ut mediantibus literis cambialibus procuret sibi
 „Gedani debitum suum solvi. *Cajus literas cambia-*
 „les scribit easq; dirigit ad *Titium Mercatorem Geda-*
 „nensem ac tradit creditori suo *Sempronio.* Proxi-
 „ma occasione *Sempronius* eas mittit ad *Mervium* cum
 „mandato suo nomine cambium exigendi, Et simul *Ca-*
 „jus literis *Arvisoriis* intimat *Titio*, ut *Mervio* *Præ-*
 „sentatori 1000. tal solvat. Acceptis ab utroque his lite-
 „ris, *Mervius* literas cambiales offert *Titio* ad acce-
 „ptandum, acceptat hic eas, sed ante solutionem certior
 „factus de fallisamento *Caji*, pariter de collusionem
 „*Sempronii* Et *Caji*, solutionem detrectat cau-
 „sâ prætendens, quod dolo ad acceptandum inductus,
 „sibi que nullus amplius regressus constat contra *Ca-*
 „jum *Trassantem.* Exinde nunc pauld plenius evolvere
 „lubet, an *Titius* exceptionem doli rectè objicere possit?

*Quæstio in-
de formata?*

XXXVII. Pro affirmativa sententia se offerunt sequentes rationes I. quod inter *Trassantem* & *Acceptantem* mandatum & ita contractus bonæ fidei celebratus. Omnem verò contractum bonæ fidei esse ipso jure nullum, quando dolum causam dedit contractui, quia contrahentes non nisi sub aliqua conditione, nempe si res ita se habuerit, videntur consensisse.

*Affirmativa
sententia Ra-
tio I. a nul-
litate man-
dari ob do-
lum.*

fisse, quæ si falsa, etiam consensum deficere *L. 7. pr. ff. de dol. mal. L. 16. §. 1. ff. de Minor.* In præsentem verò casu istiusmodi dolus à Trassante contra acceptantem est commissus, quippe ille tempore literarum cambii suæ conditionis non ignarus, fraudulenter induxit acceptantem ad solvendum, prævidens se ad restituendam pecuniam non fore idoneum. Quare inferitur, contractum inter hos duos esse ipso jure nullum, nullas esse literas cambiales, nullam acceptationem, utpote quæ falso nititur fundamento, falsamq; debendi causam profert, sine qua regulariter nulla obligatio subsistit. *c. 14. X. de Fide instrum. L. 25. §. f. ff. de Probar.* consequenter ergò acceptantem hunc dolum opponendo audiendum esse.

Ratio II. ab inhabilitate Trassanti. XXXVIII. Pugnatur pro eadem II. quod Trassans decoctor propter ruptam fidem habeatur pro mortuo, hinc eum nihil agere posse, cum sit ei prohibitum commercium, & sit infamis ac infamissimus *Rot. Gen. Dec. 1. n. 40. & Dec. 2. n. 30. & 34. Stracha. de Decoctor. P. 3. n. 1. tom. 6.* Ille ergò nec potuit dare literas cambii, & si quas dedit esse ipso jure nullas, nullamq; ex illis solutionem esse faciendam.

Ratio III. à dolo Remittentis & Præsentantis. XXXIX. Affertur pro hac sententia III. ut Remittens in præfato casu versatus in dolo, ita & ejus Præsentantem, qui propter mandatam acceptum cum Remittente est eadem persona. Hunc ergò Præsentantem etiam in specie doli osè circumducere Acceptantem, quare nec ipse ex dolo suo succurrendum, sed inter illum & acceptantem contractum nullum esse dicendum, vel saltem exceptione doli audiendum esse acceptantem contra actionem Præsentantis intentatam.

Ratio IV. à qualitate exceptionis doli. XL. Stat pro hac sententia IV. exceptionem doli adesse qualificatam, ut contra quamcunq; executionem competat, quia nihil reperiri potest juri naturali & æquitati judiciorum magis contrarium, quam dolus malus *Raph. de Turri de Camb. Diss. 2. q. 16. n. 54. seqq.* Undè inferri debet, etiam acce-

acceptantem destruere posse intentionem Præsentantis, qui ex actu doloso agit.

XLI. Eadem defenditur V. quod acceptatio literarum cambii facta intelligatur sub clausula in omnibus contractibus subintellecta; *Rebus sic stantibus & durantibus L. 137. §. 6. ff. de V. O. L. 54. §. 1. ff. Locat. cond.* Nam iis mutatis, etiam intelligi acceptationem mutatam & resolutam *L. 38. ff. de Solut.* quia Sapiens ad omnia cum hac exceptione venit; si nihil inciderit, quod impedire potest Seneca *de Benefic. Lib. 4. c. 33.* Hinc ne plane insipidus ille videatur & quasi suum jactet, comperta status mutatione Trassantis, non malè solutionem negat, quippe ad illam sub conditione salvi regressus contra Trassantem sese obligaverat, qua nunc deficiente, non amplius promissum suum cadere poterit in debitum. Neq; invidendum est ei, qui sibi à damno & dispendiis cavet, cum jura vigilantibus sint scripta *L. 24. in f. ff. Quæ in fraud. cred.*

Ratio V. & conditione acceptationis.

XLII. Non minus militat pro dicta sententia VI. quod nullo jure cogente sed ex mera liberalitate in gratiam Trassantis acceptatæ sint literæ cambii. Quando verò ob fallisamentum Trassantis non amplius salva est indemnitas, perquam durum foret acceptantem ad solvendum cogere, & ita ex officio suo ipsum damnosum præstare contra *L. 7. ff. Testam. quemadm. aper. L. 3. §. 9. L. 45. §. 2. de N. G. L. 37. & 38. de hered. petit.* Quin idèò defensione sua videtur admittendus, qui jura sua mavult intacta conservare quàm post causam vulneratam remedium quærere *L. Sancimus s. C. In quib. caus. in integr. rest. non est necess.*

Ratio VI. ab officio sine acceptatione.

XLIII. Neq; saltè ex hisce rationibus sententia hæc pro cathedra defenditur, sed etiam VII. suos invenit Patronos & defensores in foro. Ita enim Marquardus *de Jur. Damm. re mercat. L. 2. c. 12. n. 54. & L. 3. c. 11. n. 43.* scribit: Si acceptans

Ratio VII. ab auctoritate

„ ceptans postea in Trahentem & scribentem dolum malum
 „ probare possit, quo casu acceptans solvere non tenetur.
 „ Dolus enim dans causam contractui ipso jure nullus est.
 Et Ansaldo de Ansaldo *de Commercio & Mercatura Dis-*
senf. s. n. 19. expressis verbis notat: Repugnare naturæ
 „ & æquitati, si ejusmodi acceptans ad solvendum cogere-
 „ tur, foret enim patrociniari manifestissimo decoctori, qui
 „ sciens propriam labentem fortunam circumveniret ab-
 „ sentem amicum, & tamen cum inter dantem & accipien-
 „ tem literas cambii generatur contractus bonæ fidei, iste
 „ non tenet, ubi causatur dolo alterius contrahentis.

*Præfertur
 negativa cu-
 jus Ratio I.
 in cambiis
 non admitti
 except. alti-
 oris indag.*

XLIV. Verum qualiacunque sint hæc argumenta, non tamen nos morantur, ut non potius approbemus & præferamus contrariam sententiam, videlicet post acceptationem literarum cambialium exceptioni doli locum non esse, sed præcisè teneri Aceptantem ut solvat. Movemur in hanc sententiam sequentibus rationibus I. quia in nulla causa executiva admittitur exceptio alterius indaginis, seu quæ habet prolixiorum tractatum & super qua major indago & accuratio deliberatio adhibenda, sed statim in illa ad executionem properatur, & tota de simplici & plano agitur *Coler. de Process. executiv. P. 1. c. 10. n. 242.* Jam verò constat ex Ordinationibus Cambinalibus, quod in cambiis utamur Processu executivo. Et verò exceptio doli est alterius indaginis, nã dolus non apparet ex cambii literis, nec allegare illum sufficit, neque regulariter præsumitur, sed probandus est, & quidem, quia in animo consistit, conjecturis & præsumptionibus, iisque aded perspicuis, ut non nisi in malam partem possint accipi, quod procul dubio in continenti fieri non potest *Mascard. de Probat. Vol. 1. Concl. 530 seq.*

*Ratio II. ex
 literarum*

XLV. Quia II. in genere ex acceptatione literarum obligatio contra acceptantem oritur, ad id præstandum, quod

quod in literis sine protestatione acceptatis comprehensum *Acceptatione*
 est. *L. Si filiusfam. 16. ff. ad SCium Macedon. Klock. lib. 3. generali,*
Consil. 146. n. 24. Menoch. lib. 3. Præsumt. 65. n. 7. Nicol. de
Passer. de Privata Scriptura lib. 3. qu. 1. n. 126. Per oblatas
 enim & acceptatas literas tacitum pactum initur, per quod
 acceptans negotium in literis contentum approbat, & se ad
 ejus expeditionem obligat. Ab hac ergo obligatione liberari
 postea non potest sua contradictione, sed ea non obstante,
 quod expediendum in se suscepit, exequi tenetur *L. 9. ff. de*
Neg. gest. Clem. 1. de Procurator.

XLVI. Facit III. omnium maximè pro hac sententia *Ratio III. est*
 specialis ille contractus inter acceptantem & Præsentantem *specialis con-*
 initus *supra S. 9. & 30.* Ex hoc adeò obligatur acceptans, ut *tractus Ac-*
 solus debitor principalis existat, & ad præstanda omnia *ceptantii &*
 contenta in literis cambialibus obstrictus sit, utque omninò *Præsentan-*
 suo periculo & damno mandatum Tractantis tunc exequi te- *tiis.*
 neatur. Francisc. Burfat, *Lib. 1. Consil. 39. n. 3. & 8.* Propter
 hunc contractum solummodò inspicitur, quid inter illos
 duos actum sit, & si nihil à parte horum commissum, quod
 posset illum vitare, exactè servari debet, & præcisè præstan-
 dum quod ex illo debetur.

XLVII. Unde pullulat IV. quod dolus à Tertio, ut hinc Tra- *Ratio IV.*
 ctante, commissus illi contractui nequaquam obstare possit. *quod in hoc*
 Sufficit enim, quod ab his contrahentibus, Acceptante scilicet *contractu*
 & Præsentante, omnia candidè peracta, nec hic dolò ad con- *nihil admis-*
 trahendum illum induxerit, sed potius liberè suæ voluntati *sum quod il-*
 reliquerit, acceptare literas cambiales vel non. Quando *lum vitaret.*
 verò acceptavit, postea non amplius ferendus, ut suà displi-
 centià impugnet contractum, necessitate nunc devinctus, ut
 pareat illius obligationi *L. Sicut. 5. C. de O. & A.* Ad Præsen-
 tantem autem nihil pertinet, dolò Tractantis circumductum
 esse Acceptantem & hunc non habere regressum contra il-
 lum

lum, quippe hic solus cogitare debuit de illo, & inconsultæ suæ facilitati imputandum, quòd pro tali cambium solvere promiserit, quem satis solvendo esse ignoravit, nam nemo ignorare debet conditionem ejus, cum quo contrahit *L. 19. ff. de R. J. Fulv. Pacian. Consil. 50. u. 12.*

Ratio V. à
natura ex-
ceptionis
doli.

XLVIII. Evincitur V. exceptionem doli hoc casu cessare, quia ex parte ejus, cui opponenda, in personam non in rem concepta est. Non itaque sufficit ostendere dolum in aliquo contractu esse commissum, sed ostendendum dolum in hoc contractu, de quo inprimis agitur, commissum fuisse, eumque adversus quem ex dolo excipitur, Autorem ejus esse. Hoc non obscurè inculcat JCtus in *L. 2. §. 1. & 2. ff. de dol. mal. & met. except.* verbis hæc: *docere igitur debet is, qui obijcit exceptionem dolo malo actoris factum, nec sufficit ei ostendere in re esse dolum: aut si alterius dicat dolo factum, eorum personas specialiter debet enumerare, dummodo hæ sint, quarum dolus noceat. Planè ex persona ejus, qui exceptionem obijcit, in rem opponitur exceptio, neq; enim queritur adversus quem commissus sit dolo, sed an in ea re dolo malo factum sit à parte actoris. Quid itaq; dolus Trassantis ad Præsentantem pertinet, qui ex alterius malitia damnum sentire non potest, quiq; quod jure suo utitur dolosus videri nequit: *L. 55. ff. de R. J.**

Ratio VI. à
mercatorum
recepta re-
gula.

XLIX. Nec quoq; ex minima parte juvat hanc sententiã VI. recepta inter mercatores regula: *Chi accetta paghi, Solvat qui acceptavit*, quia inter illos acceptatio & promissio presententia habetur, quæ sua fide transit in rem judicatam. Cum verò hæc sanctè servanda sit, & ne quidem Princeps illam impugnare audeat, neq; exceptio doli pro ea destruenda sufficiens esse potest. *Scaccia de Commercio. & Camb. S. 2. Glassis. n. 448.*

Ratio VII. à
consensu Do-
ctorum.

L. Ob has rationes neq; nunc difficile est VII. sententiã consentientium citare, qui in terminis nostris parilem sententiã

tentiam fovent. Ita enim Scaccia de *Commerc. & Camb. s. 2. Gloss. s. n. 320. & seq.* scribit: Extende secundo, ut procedat etiam si is, qui literas scripsit, decoxerit statim post acceptas literas, imò etiam si fuisset jam decoctus ante scriptas literas; quia etsi decoctor propter ruptam fidem videatur mortuus, ideoque post rupturam nihil agere possit, cum sit ei prohibitum commercium, tamen decoctio non inhabilitat eum, quin alius possit pro eo solvere, & sic qui ejus literas acceptavit, non excusatur, quia aut sciebat decoctionem, & tunc dicitur voluisse, & potuit, quod voluit, aut ignorabat, & tunc sibi imputet, qui contraxit cum eo, cujus conditionem non debebat ignorare. Et Rotæ Romanæ *Decis. 1311. n. 12. seqq.* inserta hæc verba: campsores acceptantes literas cambii non possunt postea solutioni contradicere, etiamsi mercator, qui literas scripsit, decoxerit. Ita pariter ex Salyceto sentit Raph. de Turri. de *Camb. p. 361.* Notandum contra campsores, acceptantes literas cambii, ut non possint postea solutioni contradicere, etiamsi mercator, qui literas scripsit, decoxit. Et Joh. Mart. Vogt. de *Camb. p. 131.* similem sententiam tenet, dum scribit: Manet itaque ex his & præcedentibus indubitata verum ratio, ni & æquitati naturali, Juri communi & statuario conformis juris & Prudentum illustratum, innumerisque celeberrimarum Platearum statutis & Præjudiciis confirmatum, ut qui semel imprudenter acceptavit, postmodum damno suo prudentior factus, solvat. Et in Responso quodam ibi allegato *p. 141. n. 7.* hæc habentur: Quod si aliquod damnum inde percepit acceptans, suæ id facilitati imputet, oportet. Et damnum vel injuria alterius tibi factum, æquius est, apud te manere, quam ad alium devolvi. Add. Pacian. de *Probat. l. 1. c. 29. n. 29.* Tusch. *lit. C. Concl. 12. n. 3.* Vincent. de *Franchis Decis. 502. n. 3. in Addit Amendola.* LI.

Sententia Magnif. Senat. Gedanus. **LI.** In simili casu inter duos Litigantes non ita pridem placuit quodque Magnifico Civitatis hujus Senatui pro exclusione exceptionis doli in cambiis pronuntiare, cujus sententiam, cum sub ejus umbone non parum tutè stabit sententia hucusq; defensa, ex breviculo repetitam hic adducere lubet. Verba ejus se habent sequenti tenore: *In puncto Exceptionis doli* N. N und Consorten Beklagte/ gegenst N. N. Klägerin so per appellationem vom Richterlichen Ampt der Rechten Stadt den 4. Jun. dieses Jahres an E. Rahe gebiichen/ wobon die Acta breiter melden/ befindet E. Rahe/ daß Beklagte mit ihrer exception nicht zu hören/ und demnach die libellirte Summa der Klägerin zu zahlen schuldig / folgendes Klägerin die von Beklagten im Ampt deponirte Gelder zu heben befuset seyn werde/ *compensatis expensis* B. N. W. den 17. Nov. 1701. Obtinuit hæc sententia non modò vim rei judicatae, sed etiam juris, quia causæ cambiorum ex Privilegio Serenissimi Regis Poloniarum huic Civitati indulto inappellabiles factæ, quæ hinc in casibus similibus similiter pronuntiandi normam suppeditabit.

Laudum quoddam mercatorum. Amstelodam. **LII.** Sic Amstelodami in eadem quæstione mercatoribus ad decidendum oblata, visum fuit illis laudum suum (Parere Mercatoribus dictum) pro cessatione hujus exceptionis concipere; nec detrectavit Magistratus Amstelodamensis specialibus suis commendatitiis id ipsum ad Senatum hujus loci transmittere, & pro favore commerciorum intercedere. Verba ipsius laudi cum casu proposito se habent sequentibus.

Casus Postitæ.

L. woonende in Amstelland, is een seekere somme aan B. woonende in Rynland, schuldig, voor goederen die L. voor Reekening van B. a contant heeft verkopt, en de penningen voor ontfangen; op welkers net provenue L. een wisselbrief aan B. gest, ten Lasten van H. woonende in Pruysfen, daar geen wisselkeuren syn.

K. ac-

H. accepteert de wisselbrief, dog weygerd die ter verwal tyd te betaalen, onder voorgeven dat B. ten daage van het aff waarde der wisselbrief, wel geweeten heeft, dat de Saaken van L. doenmaals al slegt stonden; gelyck die dan waalf daagen daar naar is insolvent geworden.

Soo is de vraage.

Of H. gehouden is d' opgemelde wisselbrief te betaalen, in dien B. mocht geweeten hebben, dat het met de Saaken van L. al slegt stont, ten daagen, als hy de wisselbrief aan B. fourneerde?

D' ondergeschrevenen Kooplieden geexamineers hebbende de bovenstaande Casus Positie, en de vraage dar uit voorgestelt seggen, onder correctie, van gevoele te wesen, dat in dien B. mocht geweeten hebben dat het met de Saaken van L. al slegt stont, ten daage als hy de wisselbrief aan B. leverde, H. even wel buiten alle contestatie de selve wisselbrief gehouden is te betaalen: vooreerst om dat een Acceptant geene exceptien noit kan proponeren, welke hem soude konnen ontstaan van den band syner gedaane acceptatie, volgens een onweedspreekelyke regel: qui accepte, paye; want als imand van synen Debitur iets was in betaalinge ontfangt, ofte overnemt, in een tyd, dat hy al weet, dat die Debitur onmachtig is, om syne Schulden te voldoen, soo soude uiterlyk maar gecontesteert konnen werden by het verdere Corpus van de Credituren, of B. soodanigen wisselbrief voor hem selfs alleen soude moogen behouden, dan of de selve wisselbrief soude moeten koomen ten baate der gemeene massa van alle de Credituren van L.; maar geensins kan in dese gevalle plaats hebben dat den Acceptant H. wy sulken hoofde eenige liberatie ofte ongehoudenisse van synen geaccepteerde wisselbrief soude moogen sustineeren.

En is een waarachtige saake alhier ter steede, dat soo lang den Boedel van L. niet en is geweest aan de Kaamer van de desolaten

solaten Boedels alhier. Dat B. den wisselbrief in kwestie voor sig selfs singulierlyck komt te acquireeren, al waart, dat hy klaar en volkoomentlyck geweeten had, dat L. meer der Schulden had, als goed; weshalven gepersiftoert werd by de Solutatie die hier voor is gegeven. Geteeckend in Amsterdam, den 11. Novem-
ber 1700.

Sequuntur nunc nomina illorum mercatorum, qui in laudum hoc consenserunt & Joh. Hoekebach Notarii Publici attestatum, quod illi propria manu eidem subscripserint. Cum verò ad rem nostram ulterius ea non faciant, omisimus, illa, maximè quod reliquæ paginæ adhuc curis nostris destinatæ sint.

Verba quædam Supplicationis ad Senatum Francofurt.

LIII. Adhuc tamen id adducere lubet, quòd quòq; in Supplicatione quadam Senatui Francof. ad Mœnum An. 1672. remonstrare voluerint Cives & mercatores ejusdem loci quàm necessarium sit, excludere hanc Exceptionem: Verba illius Supplicationis sunt sequentia: Fürstrens hat den Wechselhandel / so doch der Kern aller negotien ist / zu dessen höchsten præjudiz und grosser Hindernuß die Exceptio non numerata pecunie eingeschleift werden wollen; Weilen aber die Wechsel zu besserer Beförderung der ohnenthelichen commerciën celebrem expeditionem auf sich haben / und wo dieselbe nicht gar zu Grunde gerichtet werde sollen / alle Wechsel Sachen vielmehr Summarischer Weise / als secundum juris apices zu erörtern sind / so könte vorgedachter Exception non numerata pecunia in Wechsel Sachen keine Statt gegeben / sondern allen ohnndigen / und weitläufftigen Streiten vorzukommen / von demselben gang ausgemustert werden / dergestalt / daß derjenige / so einen Wechselbrief also simpliciter acceptivet / gemeldte exception keines weges vorschügen könne / sondern Krafft woler her gebrachten Sprichworts: *Cbi accetta pagha, zu zahlen schuldig*

schuldig sey/dawider ihn auch nicht ein *dolus expressus* schätzen
 könnte/ denn es sonst einen *continuirlichen* Streit sehen würde
 bey den *fallimenten*/ da ein jeder einen *dolum*, wenn er zahlen
 sollte/ beybringen würde wollen / und also mehr *confusion* bey
 diesem *puncto* erreget/ als damit verhätet werden: denn ein jeder
 billig auf seinen Mann zusehen hat/ wem er trauet/ damit
 nicht durch eines übel Aufsehers trauen ein *terius graviret*
 werde, vid. Vogt. *de Camb. Th. 7. p. 179.* ubi verba hæc refert.
 Cujus Supplicationis, quin ratio fueri habitat. ed minus dubii
 habet, quod idem Magistratus, qui prima sua *Ordinatione*
Cambiali art. 15. seq. Exceptionem non numeratæ pecuniæ in
 cambiis expressè removendo, alias simul omnes removerat,
 postea in *Renovat. Ord. Camb. Proëm* reflectendo ad oblata
 Civium Memorialia, inter quæ procul dubio & hæc Suppli-
 catio fuit, expressè statuerit, ut pristino vigori dictæ excepti-
 onis non numeratæ pecuniæ, atq; sic simul omnium aliarum,
 tanto favore ne quidem munitarum, exclusio restitueretur,
 sique, ut videtur, contraria forsitan Praxis irrepserit, eadem
 hoc ipso tolleretur, abrogareturque.

LIV. Ne verd rationes pro contraria sententia supra allega-
 tæ nobis sint offenculo, ad illas nunc respondendum erit. *Responsio ad*
 Possæt quidè in genere sufficere responsio, omnes illas imper-
 tinentes esse, quatenus demonstratum, obligationem Accep-
 tantis & Præsentantis venire ex separato contractu inter illos
 iniro, quam dolus inter alios contrahentes commissus tollere
 non potest. Lubet tamen ad omnes ordine, quo supra propo-
 sitæ, specialius respondere. *Primam* quod attinet, suo quidem
 stat valore, omnem contractum bonæ fidei esse ipso jure nul-
 lum, cui dolus causam dedit, & Trassantem quodque contra
 Acceptantem dolum commississe. At quid hoc ad Præsentan-
 tem, an idèd & a se inirus contractus ob istum dolum nullus es-
 se debet? Imò potius, quia omnis fraudis expers & utiq; sin-
 cere

*rationem
 dubiandi t.*

cerè cum Acceptante egit, neq; sius contractus aliqua appendix est contractus Transantis & Acceptantis, sed per se separatus & principalis, non potest non obligatio inde nata omni jure subsistere.

Responsio ad rationem 2. LV. Nec obstat ratio *secunda*, quòd decoctor pro mortuo habeatur, neq; post rupturam contrahere possit. Nam etiam bannitus pro tali habetur & contrahere nequit, & tamen pro eo alius solvere non impeditur *arg. L. 5. Et 17. C. de Solut.* Nempe hic unice attendendum, quòd acceptans pro decoctore solutionem susceperit, & se ad eam per specialem contractum Præsentanti obligaverit. Quòd verò ratione sui regressus non inveniatur habilem contrahentem, scilicet campforem, id dependet ab alio contractu, cujus eventus soli imputandus Acceptanti, qui, aut scivit decoctionem, aut ignoravit. Si scivit, non habet cur contradicat, quia consensit in decoctorem; si ignoravit, in culpa est, quòd non inquisiverit melius in conditionem ejus, quam scire debebat. Interim Præsentantis obligatio ab his incommodis omnino tuta manet.

Responsio ad rationem 3. LVI. Nihil valet *Tertia* ratio in applicatione ad contrarium Præsentantis & acceptantis. Hic enim neque illius neq; Remittentis fidem respicit aut sequitur ratione indemnitate consequendæ, nec ullus ex his vicissim illi indemnitate aut restitutionem pecuniæ cum interesse promittit, quare nec allegare potest, se ad numerandum cambium spe regressus ab illis dolose inductum fuisse. Satis patet acceptantem præsentantis literis cambii parum vel nihil fidei dedisse, nisi in Transantem respexisset, & per literas avisorias eundem sibi obstrinxisset. Quod si verò ab hoc deceptus sit, non liberare potest eum ab obligatione Præsentantis, quippe qui meritò id, quod sibi debetur, prosequitur.

Responsio ad rationem 4. LVII. Ad *Quartam* rationem contrariæ sententiæ referemus, imò non competere exceptionem doli ad impedi-

diendam executionem, quia illa altioris indaginis est *supra §. 44.* Verum etiam posito illam admitti posse, fortè quod dolus in continenti probari possit, ut in casu, quando Præsentans rasis literas cambii vel illis aliquid inscripsit Alex. *V. 2. Conf. 63. Ziepfel. de literis Camb. p. 416. seq.* attamen ex dolo tertii contra non dolosum illa nunquam competere poterit. Non enim in rem scripta est exceptio doli, sed saltem in personam decipientis concepta *L. 2. §. 1. L. 11. §. 1. ff. de dol. mal. & met. except.* vid Zanger. *de except. cap. 11. n. 19. seqq.* unde Præsentans, qui non decipit, nec illa exceptione removeri potest.

LVIII. Ad *Quintam* rationem respondemus, clausulam illam: Rebus sic stantibus, diversarum partium esse, easq; æstimandas esse ex natura cujusvis contractus, neque ultra illas, alias contractui supponi. Concedimus Præsentantem & Acceptantem etiam sub conditione illius clausulæ convenisse, sed illa hic non alia capita continet, quàm quæ deposcitur natura istius contractus & de quibus cogitasse præsumuntur contrahentes v. gr. quod acceptatio facta sub conditione si literæ cambiales ab illo Trassante scriptæ, quem esse purat acceptans, &c. Negamus sub conditione salvi regressus acceptatas esse literas, siquidem scit Acceptans Præsentantem sibi non obligari ad regressum, scit etiam regressum contra Trassantem non ex Præsentantis, sed Trassantis contractu petendum esse. Non potest ergò Præsentantis contractus impugnari ex defectu hujus conditionis, quæ in illo contractu non potuit subintelligi.

LIX. Omnium minimè juvat contrariam sententiam *Resp. ad Rationem 6.* Sexto Officiositas acceptantis, quam sibi nocere non posse prætendit. Nam id, quod ab initio erat liberæ voluntatis, ex post facto fit necessitatis *L. Sicut s. C. de O. & A. & quod ab initio provenit ex mera civilitate, post promissionem*
 E cadit

cadit in inevitabile debitum. Undè quod ex promisso Acceptantis, juris factum est Præsentantis, id ei citra omnem suam culpam rursus auferri non potest; neque tunc amplius integrum est acceptanti dicere, se jura sua intacta conservare.

Resp. ad Rationem 7.

LX. Autoritati Doctorum opponimus *Septimo* non minorem aliorum Doctorum autoritatem §. 52. vel rectius meliores illorum rationes. Illi enim contrariæ sententiæ Patroni rem parum circumspectè tractant, qui non considerant in quo contractu & à quo contrahente dolus commissus, sed in genere dolum in cambio commissum esse putant sufficere. Cum tamen contractus quosdam à se invicem distinguendos in cambio occurrere ostensum supra, pariter exceptionem doli tantùm in personam decipientis conceptam esse, & Præsentantem omni fraude carere non potest autoritas à jure aliena dicentis ad consentiendum movere. Nam non quis dicat sed quid dicatur attendendum venit. *arg. L. 1. §. 6. C. de V. F. E.*

Ampliatio quædam sententiæ nostræ.

LXI. Ab his itaque dubiis vindicata sententia nostra, ex rationis identitate etiam procedit, si non ex mandato sed in gratiam Tractantis & quidem par honneur de lettre literæ cambiales ab aliquo acceptatæ, nempe quod istiusmodi acceptans etiam exceptione doli à solutione se liberare non possit *Wechsel-Ord. der Stadt Danzig art. 11.* Vicissim quoque Tractans contra Remittentem executivè agere potest, postquam literas cambii dedit, & ille cesset numerare pecuniam cambialem; in cambiis enim omnium interesseantium refert pecuniam paratam habere *d. Wechsel-Ord. art. 1. Ordin. Camb. Lipsiens. §. 26.*

An acceptans pecuniam in judicio deponere possit?

LXII. Quæ cum ita sint, sua sponte fluit, Acceptantem suæ securitatis causa coram giudice pecuniam in literis expressam deponere non posse Ziepfel *de Liter Camb. Sect. 6. p. 160.*

p. 160. seq. Post acceptationem enim res non amplius est integra, & suæ securitati perquam tardè consulit, qui demùm tunc de ea cogitat, quippe tunc temporis non amplius in suo arbitrio est, acceptatam solutionem remorari. *L. 22. §. ult. ff. Mandati L. 35. §. ult. C. de Donat.*

LXIII. Ex quibus omnibus tamen patet, semper consultum esse, sese difficilem præbere in acceptandis literis cambii, cum varia hominum fortuna, quæ regressum contra Transantem faciliè impedire potest, ut inde acceptanti commendatissimum esse debeat illud: *vide cui fidat.* Pro securitate verò mercatorum illud facere notant, ut tergo literarum præsentatarum inscribant, non se acceptasse, sed recepisse, quâ cautela volunt acceptantè non obligatum esse Nicol. de Passer. *de Privat. Script. Lib. 2. qv. 3. n. 92.* Lauterb. *Disp. de Jure in curia mercat. usitat. th. 174.* Verùm cum extacita receptione, quando mercator literas cambii legit, easque inter res suas posuit, acceptasse & ad contenta se obligasse videatur Cæpoll. *Caut. 9. n. 1.* non minus potest dici obligatus qui recepit expressè. Unde nec satis consultum erit se huic cautelæ committere, nisi quis de non acceptando expressè protestetur, & tantùm ad deliberandum se literas cambii recipere asserat.

LXIV. Interim tamen jura, quæ competunt acceptanti adversus campforè ipsi salva manent, quippe ex solutione facta actio mandati vel negotiorum gestorum, ut demonstratum supra §. 29. & 31. ad repetendum cambium eidem competunt. His utendum est in foro campforis *L. 2. C. de Jurisdic. L. fin. C. Ubi in rem act.* & experiendum illis, ut in quantum suppetit patrimonium debitoris, ex illo satisfiat actori. Forum istud est vel domicilii debitoris, vel contractus celebrati, modo ibi deprehendatur debitor *c. 1. de Foro*

*Cautela pro
Acceptante.*

*Quale auxi-
lium ipsi su-
per sit?*

competent in 6. Brunn. ad L. 10. S. 2. ff. de Judic. Et sicubi in aliquo loco specialis magistratus ad hæc negotia constitutus supra S. 27. coram eo tunc erit hæc actio tractanda. Attendendum tamen auctori, an ex statuto loci in concursu creditorum prælationem habere possit, an non; si possit ea tunc utendum, quod si non habeat, tantum cum chirographariis ultimæ classis creditoribus concurrat, quia saltem actionem mandati habet, quæ merè personalis est. Quamvis quia favorabiliorè debiti causam habet, inter hos prælationem eum mereri non dubitemus, quia privilegia inter chirographarios non quidem ex tempore, sed tamen ex causa æstimantur L. 32. ff. de Reb. aut. jud. possid. Anton. Faber. ad Cod. Lib. 6. tit. 11. def. 14. & lib. 7. tit. 32. def. 3.

An Remittens per cambium extorsam pecuniam cum Creditore Transantis communicare debeat?

LXV. Ex casu supra proposito non inelegans quæstio resultat: an Remittens qui Transantem debitorem suum coegit, ut mediantibus literis cambialibus sibi solveret, pecuniam ab Acceptante sibi per Præsentantem solutam, in communem massam decocti Transantis conferre teneatur, ut ex ea non sibi solum, sed & cæteris concurrentibus creditoribus Transantis pro rata solvatur, adeoq; etiam ipse Acceptans exindè adhuc partem sui crediti recipere possit? Placet distinctio Jacobi Savary Tr. der vollkommene Kauff und Handeldsmann/ cap. 20. p. 144. an acceptans fuerit campforis debitor an non. Ut priori casu Remittens acceptam pecuniam conferre teneatur, quia mercatori tempore instantis fallisamenti non permittitur in gratiam unius creditoris, ut gravet reliquos, de bonis suis pro lubitu disponere 101. tit. ff. Que in fraud. cred. cum tunc temporis jam plures creditores insint, & debitor Transans ipse benè intelligat, se non solvendo esse, creditor quoque illegitimo modo solutionem impetret L. 24. ff. d. 1. Brunnem. ad L. 6. ff. de Reb. Aut. jud. possid.

posfid. n. 4. *Mev. ad Jus Lubec. Lib. 3. tit. 1. art. 3. n. 30.* Et per cambii literas aliquem suorum debitorum ad solutionem adigere, æquè reputatur, ac si merces vel alia mobilia in solum accepisset, quæ tunc, cum bonis suis annumerentur, omnium quoq; concurrentium creditorum solutioni partere debent. In posteriori casu hæ rationes cessant, nam Transfans nihil alienat, quod bonis suis annumerari possit, adeoque Remittens etiam acceptam pecuniam cambialem conferre non tenetur.

LXVI. Si præsupponamus Cajum debere Titio 1000. *Cujus sit datum si ex* tal. & Titium mandare, ut hi 1000. tal. Lipsiæ solvantur *mandato al-* Mevio, simul illum Mevium mandato instruere, ut per *cujus inha-* viam cambii illam pecuniam sibi Gedanum mittat. Mevius *bili campfort* id faciens solvit Lipsiæ 1000. tal. Sempronio ad cambium, *pecunia per-* interim evenit, ut Sempronius rem decoquat, quæritur *ferenda data* *pecunia per-* jus damno cedat hæ decoctio? Distinguendum an latuerit, *ferenda data* Sempronii decoctio, ut nemo facillè eam suspicari potuerit, an verò jam de ea sinistra inter homines opinio emerferit, ut nemo inculpatæ diligentæ huic Sempronio pecunias dedisset. Illo casu damnum ad Titium pertinet, quia Mevius fecit quod voluit mandans, & bona fide quod mandatum erat, solvit *arg. L. 41. ff. de Reb. cred. L. 12. §. 2. Solut.* Hoc casu est damnum Mevii, quia in culpa versatur, quod decoctio proximo pecuniam in cambium obtulerit. Si enim debitor pupilli. solvendo tutori, quem scit postulatum suspectum, non liberatur *L. 14. §. 1. ff. de Solut.* neque taliter suspecto solvens liberandus erit. In specie verò ad Mevium pertinet periculum, quando mandavit Titius, ut pecuniam suo periculo remitteret, quia consensit in id quod mandato comprehensum est, *Reufner. de Camb. th. 20.*

LXVII. Finge A. dedisse 1000. taleros B. ut illorum *Cujus sit datum ex li-* valorem faciat solvi C. Hamburgi, B. scribit traditæ literas *cam-* *seris falsifica-* *in orium.*

cambii & eas dirigit in mercatorem Hamburgensem D. Acceptas literas C. corrumpit & falsificat numerum, exigitque à D. majorem pecuniarum summam, nempe 2000. tal. disquiritur: in quem redundet hoc damnum, an in D. quod plus solverit, an in B. quod non cautè & satis crassè literas pinxerit, an verò in A. quod non magis fido viro commiserit pecuniæ executionem? Resp. Si falsificatio literarum ita patens evidensque fuerit, ut à quovis sedulo & perspicuo campfore cognosci facilè potuerit, damnum ad D. solventem pertinet, quia in culpa est, quod falsas & corruptas literas solverit, sua verò unicuique culpa non allis nocere debet. *L. 155. pr. de R. f.* Si latens & occulta, & ne quidem à perito campfore animadverti possit, damnum hoc A. erit cui imputandum, quod non fideliore executionem pecuniæ commiserit, neque à B. exegerit, ut pinguioribus characteribus, qui variari non possent, literas scriberet, ita tamen ut cessà sibi actione à D. contra fraudatorem C. habeat regressum Reufner. *Tr. de Camb. th. 23.*

Quid si literæ auferantur vel casu amittantur?

LXVIII. Disquiritur, si literæ Cambii in itinere ablatae & auferens ex illis pecuniam ab eo cui transmissa facta exegerit, an denudè solvi debeat vero Præsentatori? Affirm. quia epistola mihi missa non prius mea est, quàm mihi reddita fuerit. *L. 65. pr. ff. de A. R. D.* Cum ergò cambii literæ, quæ, antequam ad præsentatoris manus veniant, deperditæ, præsentatoris non sint, nec ex illis sibi solutum dici potest. Si literæ casu amissæ pecunia in illis contenta à campfore repeti potest, dummodo caveat Remittens de indemnitate, ne forsitan ex literis ab alio quovis inventis in loco transcripto pecunia exigatur, & ita campfor bis idem solvere cogatur. *L. 84. §. 7. ff. de Legat. 1. Pacian. de Probat. L. 1. c. 63. n. 139. Grævius Pract. Conclus. Lib. 2. concl. 37.*

LXIX. Hisce verò tractationem hujus materiz finimus. *Epilogus.*
 neminem, cui contraria sententia est æquior visa, in sua opi-
 nione turbare cupientes. Veritatem nos hisce defendisse
 videmur, quam amantes non decet temerè prodere. Benè
 enim Chrysostomus dixit: *Non solum ille proditor est veri-*
tatis, qui transgrediens veritatem, palam pro veritate menda-
cium loquitur: sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronun-
tat, quam liberè pronuntiare oportet, aut non liberè veritatem
defendit, quam liberè defendere convenit, proditor est veritatis.
 Nam sicut sacerdos debitor est, ut veritatem, quam audit à Deo,
 liberè prædices. Sic Laicus debitor est, ut veritatem, quam au-
 dit à sacerdotibus prolatis in scripturis, defendat fi-
 ducialiter. *Quod si non fecerit proditor est veritatis c. 86. C.*
 II. qv. 3. Pro auxilio verò concesso sit Deo Laus & sempiter-
 na gloria.

FINIS.

COROLLARIA.

I.

Ex sola aptitudine ad officium petendum con-
 tra impediens actio competit ad exigendam æ-
 stimationem spei incertæ obrinendi munus petitem.

II.

Juramentum quod vi metuque extortum juran-
 tem adedò obligat, ut ne quidem salvâ conscientia
 ejus recissionem à magistratu petere possit.

III.

Princeps ex Antecessoris contractu obligatur fi-
 ve

ve ille electio five successivo jure ad Principatum venerit,

IV.

Ne quidem ob martyrium evitandum, & ne in persecutionibus fidem Christianam ejurare cogamur, *avrozepta* est licita.

V.

Judex ex evidentia facti certus potius juxta conscientiam quam secundum acta & probata judicare debet.

VI.

Venditor traditis mercibus non præsumitur fidem habuisse

VII.

Ex pluribus delinquentibus aliquos per decimationem ad mortem damnare, aliquos verò ab hac poena eximere nihil iniquitatis habet.



ULB Halle

3

004 821 785



sb.

V017







2. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
EXCEPTIONE
DOLI,

IN
CAMBIIS CESSANTE,

Quam

Divinâ annuente Gratiâ

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi

DN. SAMUELIS FRIDERICI

WITTENBURG/

J. U. D. Ejusdem ac Historiar. Prof. Publ.

& Athenæi Inspectoris,

Fautoris, & Promotoris studiorum suorum

ad Cineres devenerandi,

d. *Julii A. R. M. DCCII.*

In Auditorio Athenæi Gedanensis maximo

Eruditorum Examine,

submittit

JOHANNES Gottlieb BECKER, Gedan.

GEDANI,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII.